





372

SOLE JUSTITIÆ PRÆSIDE
DISSERTATIONEM INAUGURALEM

DE

1661, 10.

DENVNCIATIO
NE LITIS, *Febr. VI.*

FUSSU ATQUE AUTHORITY
MAGNIFICI, NOBILISSIMI,
ATQUE AMPLISSIMI JURISCONSUL-
TORUM ORDINIS IN ILLUSTRIS ET CELE-
BERRIMA ARGENTORATENSIS
ACADEMIA,

PRO LICENTIA

*Summos in utroq^{ue} Jure Doctorum Honores, &
Privilegia legitime capeffendi.*

Publicæ & solenni disquisitioni
submittit

ANTHONIUS SCHOTT,
Alfatô Colmarienf.

Die 2 Novembr. H. Lq. S.

ARGENTORATI,
Typis FRIDERICI SPOOR.

ANNO M. DC. LXI.



SOLE PRÆSIDENTI RESIDENS
DISSERTATIONEM IN AURUM

DE VARIATIONE

IN

REBUS

MAGNIFICENTIAE NOBILISSIMAE

ATQUE AMPLISSIMAE JURISCONSULTI

JOHANNIS URBANIUS DE WITTELLIBUS ET CELLERII

PER MAJESTATEM AUSTRIACAM

PROFECTISSIMO

PROFECTISSIMO

Summo in Christo Patri Doctorum Honorario

Præsente hujusmodi

Publice & solenne disputatione

habenda

ANTHONIUS SCHOTT

Alto Coloniense

Die Martii M. DC. LXXII

LAURENTIUS

Typis FRIDERICI STOR

Anno M. DC. LXXII





P R Æ F A T I O.



Ullum esse negotium unde plus subsidii, & commodi societas civilis sibi promittere possit, quam si facta tecta; servetur contractuum fides, fundamentum Justitiæ. Cicero lib. 1. off. cap. 7. in med. sanctissimumque humani

pectoris bonum. Senec. epist. 88. nemo est qui facile diffiteri possit; quod in tantum Majores nostri (apud quos plus boni mores, quam alibi bonæ leges valebant, teste Tacit. de moribus German. cap. 19. §. 6.) observabant, ut etiam exteræ & alienæ nationis gentes, fidei Germanorum plurima præ cæteris omnibus tribuebant. Hinc Frisiorum Legati, Verrites, & Maloriges, nullos mortalium armis & fide ante Germanos esse exclamabant, & locum inter Senatores, illarum Gentium Legatis, honoris causâ assignatum, qui virtute & amicitia Romana præcellerent, occupabant, referente Tacit. lib. 13. Annalium. Postquam autem lapsu temporis, à tali morum innocentia atq; inconcussa fide, ad vitiorum declivia publice discessum esset, etiam necessitate postulante, ulteriora securitatis remedia à Legislatoribus recepta atq; inventa sunt, neve quicquam suis deesset legibus, unde robur mutuari possint contractus, summam adhibuere curam. Hinc

cuius statum post et Traiani ponunt

Germani in nullis Legislatorum, sed omne in accepto a Romanis

A

Pigno-



Pignora quæ sita, hinc Juramento, facta promissis fides; Hinc fidejussiones & Cautiones ortæ. Verum cum nec hisce remediis, contrahentes semper sibi prospicere potuissent, ac sæpissime extremo suo malo & damno, rebus bonisque suis defraudarentur, saluberrimum Evictionis remedium innotescere cœpit. Dn. Carpzov. *Respons. Jur. lib. 3. tit. 2. resp. 15. in pr.* Ad quam Actionem instituendam necessarium & essentielle requisitum cum sit DENUNCIATIO LITIS, Eiq; ita cohæreat, ut ne quidem illâ omisâ actio de Evictione intentari possit. *l. 53. §. 1. l. 63. ff. d. Evict. & passim*, Eiusdem Jura, tum propter utilitatem & præstantiam, tum propter frequentiam in foro & processu summani præ cœteris mihi arriserunt; De quibus nonnulla hac vice pro ingenii mei modulo, conscribere, atque ea sub disputationis ac censuræ incudem revocare constitui, quod ut feliciter cedat, Divinum imploro Numen, ejusque auxilium. Sit itaque

THESIS I.

ANtequam autem rem ipsam aggrediar operæ pretium me facturum spero, si quædam de Vocabuli Homonymia (quæ alias errorum mater fecundissima) præmittam; ut inde exactius constet, de quam denunciatione in præsentî discursu nobis sermo sit; Imprimis cum ejus significatio diversa sit, neque uno eodemque modo in Jure nostro accipiatur. Aliquando enim accipitur, pro Delatione sive accusatione, apud Judicem alicujus facinorosi, Wann einer einen Übeltäter seines Verbrechens wegen bey der Obrigkeit anbringet. Joh. Emer. à Rosbach. *process. Crimin. tit. 1. cap. II.* Rittershus. *in diff. Jur. Civ. & Can. lib. 6. cap. 3.* Aliquando etiam dicitur denunciare maritus uxori repudiatæ ne nubat, quia

quia maritus illam proxime adulterii velit accusare. l. 16. l. 17. per tot. ff. ad L. Jul. de Adult. Aliàs etiam pro prohibitione accipitur. § 1. J. de Interdict. sicut etiam Ulpianus in l. 5. ff. de Nov. oper. nunciat. Et Justinianus in l. un. C. eod. Novum opus denunciare dixit, quod ibi nihil aliud quam prohibere significat; cum is qui ita denunciat prohibet vicino ne ædificet. Wesemb. in Paratit. tit. d. Nov. Oper. Nun. num. 6. Zoef. eod. tit. num. 1. Interdum etiam denunciare pro condicere sumitur, & contra. Sic Festus. conditio in diem certum est ejus rei, de qua agitur denunciatio. vide §. 15. J. de Act. Et imprimis Amplissimum atque Nobilissimum Dn. D. Rebhan. in *Hodogeta Juris chart. 2. clim. 4. Parallel. 2.* quo sensu vox denunciationis in d. § 15. accipiat nervose explicantem. Nonnunquam pro illa bina vel terna proclamatione in Ecclesia è suggesta à Ministro illarum personarum matrimonium proxime solemniter inire volentium, facta, accipitur & alias Bannum appellatur. c. cum in tua. extr. de sponsal. c. fin. extr. de clandest. despons. Olim quoque denunciationis nomine appellabant illos processus, quos Camera Imperialis emittere consuevit, parti in Judicio absenti & succumbenti, & procuratorem apud Acta non habenti, quibus sententiam esse latam, significabat. Teste Rodingio in *Pandectis Camer. lib. 3. tit. 4. in Comment. verbo denunciations.* Usurpatur quoq; denunciationis verbum pro Nominatione in specie sic dicta, cum quis alieno nomine possidet, Dominum rei controversæ nominat, ut ipse à lite eximatur. l. 2. C. ubi in rem act. Mynsing. ad cap. ult. §. fin. num. 25. extra ut lit. non contest. & cent. 3. obs. 24. Aliæ adhuc plures denunciationis significationes in legibus passim reperiuntur, quas hic omnes referre neque libet neque licet. Nos in hac nostra proposita tractatione, loquimur de denunciatione κατ' ἐξοχὴν & simpliciter ita dicta, de qua in l. 49. ff. de Jud. l. 1. C. ubi in rem act. & passim in tit. de Evict. agitur, quâ quis Auctori suo à quo rem in litem deductam acquisivit, denunciat litem esse motam, uti postea melius ex definitione patebit.

II.

Homonymiam excipit Synonymia; Dicitur autem aliquando hæc denunciatio Juridicè quoque Laudatio. vide Dn.

A 2

Frantz.

4
Frantz. p. m. *Item* hujus seculi accuratissimum. *in comm. ad ff. tit. de Eviēt. num. 627.* Zanger. *de Except. part. 2. cap. 2.* Item laudare Auctorem; Laudare autem est vetus verbum, & in prisca lingua significat Nominare. Gell. *lib. 2. noct. cap. 6.* Sic Modestinus *in l. 63. §. 1. ff. de Eviēt.* laudare Auctorem, pro denunciare dixit, *vid. l. 6. §. 5. ff. de act. Empt. l. 7. C. de Eviēt.* Hic autem laudare auctorem, nihil aliud est quam dicere titulum suæ possessionis, & Auctor dicitur à quo quis causam seu titulum suæ possessionis habet. *argum. l. 13. §. 1. ff. de A. vel A. P. l. 5. ff. de divers. & tempor. prescript.* Nonnunquam etiam dicitur postulare à venditore, ut emptorem defendat. *l. 73. ff. de procurat. Colleg. Jur. Argent. tit. de Eviēt. rubr. de Nom. seu denun. auth.* Et hanc denunciationem vocant Germani, Litis intimation, Item einem Litem intimiren / Item einem den Krieg ankündigen. *ordin. process. Jud. Saxon. tit. 14. §. Wann aber der / welchem der Krieg angekündigt.* Carpzov. *process. tit. 4. artic. 4.* Galli, *Appeller son garant a ce qu'il prenne la garantie pour luy.* Item *Nommer son garant.* Et dicitur quoque fidejussor Eviētionis, Auctor secundus, *in l. 4. ff. de Eviēt.* Unde & defensio Auctoritas appellatur. Dn. Frantz. *d. tit. num. 657.*

III.

Cum autem hæc duplex sit, Et fiat aut ad effectum, declinandi iudicium, & substituendi denunciatum, quæ proprie Nominatio vocatur, aut fit ad effectum assistentiæ seu defensionis. Hanc ita commode hic definire puto. Quod denunciatio Litis nihil aliud sit, quàm Litis motæ Judicialis significatio auctori Iudicii suscipiendi, causæve defendendæ gratia facta. *Coll. Jur. Argent. loc. supra alleg. Umm. disp. ad process. 11. thes. §. num. 15.* Dn. Frantz. *in comm. tit. de Eviēt. num. 657.*

IV.

Huic autem Denunciationi Litis, causam dedisse, existimō, quod actiones reales regulariter, dentur contra quoscunque possessores qui rei restituendæ facultatem habent, *l. 25. ff. de O. & A.* Dn. Hahn. *in observ. ad Wesembec. part. 2. tit. de liberal. caus. & passim.*

passim, & respectum nullum habent ad certam personam, sed
 rem potius ipsam (quæ & dehinc quodammodo conveniri vide-
 tur. l. 7. ff. de public. in rem act. argum. l. 19. ff. de Jur. fisci. l. 2. C. si
 unus ex plur. hered. Amplissimus atque Excellentissimus Dn. D.
 Rebhan in *Hodogeta Jur. Chart. 2. clim. 4. parallel. 2. post. num. II.*
 Dn. Frantz. in comment. ad ff. tit. de Rei Vind.) afficiant, & profe-
 quantur. Hinc inquit Grotius, de *Jur. Bell. & Pac. lib. 2. cap. 10.*
num. 1. Qui rem nostram habet in potestate, quantum in se est,
 efficere debet, ut in nostram redeat potestatem; Introducto
 enim Dominio, hæc quasi societas inter Dominos introducta
 est, ut qui rem alienam haberet, in sua potestate, illam Domino
 redderet; Unde cum Rei alicujus possessor, aliqua actione Rea-
 li, ob rem quam accepit à tertio, qui author ipsi esse dicitur, con-
 venit, is verò putet se esse verum Rei Dominum, remque pro
 sua possideat, alter autem rem suam esse prætendat, eamque
 sub specie ac velamine proprietatis suæ avocare intendat; Uti-
 que incumbit convento, litem motam & intentatam auctori
 suo, à quo rem accepit, denunciare, eoque ipso petere ut ei assi-
 stat, eumque legitimis defensionibus & documentis, si adhuc ei
 quædam supersint, instruat atque defendat. Dn. Carpzov. *pro-*
cess. Jud. tit. 4. artic. 3. num. 1. Guilhelm. Roding. in *Pandectis Ca-*
mer. lib. 3. tit. 4. §. ult. circa fin. in comment. verb. Nominantis, sive
laudantis. Dn. Frantz. in comm. ad ff. tit. de Evict. num. 660.

V.

Ut ergò quis litem auctori suo legitime denunciare possit,
 Primo requiritur, ut is rem controversam quam ab auctore ac-
 cepit, adhuc dum possideat, (vel dolo possidere desierit, tunc
 enim pro possessore habebitur. l. 27. §. 1. junct. §. 3. ff. de R. V.) &
 ab alio in rem actionem sustineat, per textum expressum &
 singularem in l. 1. C. ubi in rem act. ibi. *in rem actio non contra ven-*
ditorem sed contra possidentem competit. & porro, frustra itaq; de-
 sideras non tecum congregari, sed cum auctore tuo Dominium vindi-
 cantem, cum te possidere contendas. Rosbach. *prax. Civil. tit. 48. in*
pr. & Dd. comm. Ex quo statim sequitur quod is, qui rem pla-
 ne non possidet, Auctorem laudare nullum nec ei litem de-

A 3

nuncia-

nunciare possit, sed contra ipsum mox in principio litis cessat actio (ergo & denunciatio) cum Actorem nudâ allegatione, Tibi contra me nulla competit actio, repellere possit. Siquidem certi juris est, quod in Realibus actionibus, sicuti ex parte actoris, Jus in re adesse debet, ita quoque ex parte Rei possessio necessaria est. l. 25. ff. de Oblig. & Act. l. 36. ff. de Rei Vind. Quod etiam utrumque ab Actore in libello allegari & in processu probari debet, Dn. Frantz. in comment. ad ff. tit. de Rei Vind. n. 10. Hinc quoque possessio adversario actionem in rem parere, l. un. C. de alien. Jud. mut. caus. fact. & actio Realis (quatenus ut instituenta consideratur) ex præsentì possessione l. 24. §. ult. ff. de Judic. dicitur. Possessionis autem vocabulum hic propriè accipitur, pro facultate scilicet rem detinendi, conjuncta cum animo sibi habendi, neque etiam hic rerum incorporalium & Jurium quasi possessionem excludimus, cum Illic. Umm. disp. ad process. direct. II. thes. 9. num. 38. in med. uti ex sequentibus apparebit.

typographi alleg
gravissimus hic est
um jus in re et poss
non ab Actore sed
re alleganda et
sibi probanda est.
ante teste.
ad defensionem
personalis.
Caus. Caus. C. 5. n. 8.

VI.

Deinde ut Jus denunciandi alicui competat, requiritur ut possideat suo non alieno nomine. Nam alieno nomine possidentes hic vocantur, qui Jus in re non habent, & aliàs à Dd. Affinam possessionem habere dicuntur. Uti post Andream Cludium lib. rer. quotid. sect. 4. cap 6. num. 63. docet Dn. Hahn in observat. ad Wesemb. tit. uti possidet: num. 6. verb. confessoria & negatoria utilis, ut Colonus, Depositarius, Inquilinus Commodatarius, cum enim harum rerum Domini, tam possessionem quam proprietatem retineant, & illi neque civiliter neque naturaliter possideant. l. 9. ff. de R. V. l. 8. ff. commodat. l. 17. §. 1. ff. de pos. (quamvis nonnunquam in lata significatione illorum detentio, quoque interdum possessio simpliciter, interdum naturalis vocetur. l. 7. §. 11. ff. comm. div. cap. ult. ut lit. non contest. l. 2. C. ubi in rem actio. l. 2. §. 1. ff. pro hered. l. 38. §. 7. ff. de V. O. rectius tamen possidere negantur. per leg. 3. §. 20. l. 10. §. 1. l. 18. l. 41. ff. de Acquir. vel amitt. poss. argum. l. 6. §. 2. ff. d. precar. l. 2. C. de prescript. 30. vel 40. Annorum. Nobilissimus atque Excellentissimus Dn. D. Deckherr. de possessione creditoris in pignore. disput. 3. §. 136. per tot. Wesemb.

In π. tit. uti possidetis. num. 5.) hæc nostra denunciatio iis quoque non competit, sed sufficit si nominent rei Dominum, eoque ipso statim litis dispendia effugiant. Suo autem nomine (de quibus nobis hic præcipue sermo est) possidere dicuntur, qui opinione Domini possident, Nobilissimus Dn. Bicc. nunc & d'yi-
ois, in suis Aureis sect. 3. 0. 153. lit. FF. & putant se esse Dominos Rei, ex causa quam ab Auctore habent. Marant. in specul. part. 6. memb. 5. in princ. Emeric. à Rosbach. prax. Civ. tit. 48. num. 5. Ut sunt Emptores, vel ex permutatione aliove titulo aliquo modo oneroso, rem habentes, de quibus in sequent. Rosbach. d. tit. Umm. dict. disp. 11. thes. 7. num. 23. vel animum habent sibi habendi, & hi auctores suos proprie non nominant sed auctori à quo causam habent, ut liti adsit, eosq; in Iudicio defendat, litem denunciant. l. 1. C. ubi in rem act. l. 49. pr. ff. d. Jud. Rosbach. d. loc.

VII.

Cum autem variis ex causis res in alium transferantur, nobis autem eas omnes examinare & huc referre non liceat, generaliter saltem hic de personis, denunciantibus aliquid subiciemus. Hac igitur utitur Reus conventus, qui rem ab auctore ex causa aliqua nõ mere lucrativa accepit, eamq; ab alio evictum iri metuit, Et pro regula firmissima est, in omnibus contractibus & casibus litem denunciare licere, in quibus locum habet evictio. l. 52. ff. de Evict. l. 8. C. de sent. & interloc. l. 29. C. de Evict. Franz. cum mult. ibi alleg. ad ff. tit. de Evict. n. 187. Zanger. part. 2. cap. 2. num. 10. ne scilicet intermissa denunciatione Reo convento præcludatur regressus adversus suum auctorem. l. 53. §. 1. ff. de Evict. Carpzov. in process. Jur. tit. 4. artic. 3. num. 9. Et sic inter has causas primū sibi vindicat locum Emptio & venditio. l. 1. C. de per. & com. rei vend. l. 11. §. 2. ff. de act. Emptio. Claris. Dn. Struve. Syntagm. Jurispr. volum. 3. Exer. 27. thes. 16. Umm. d. disp. 11. thes. 7. num. 23. Huicque Evictio principaliter & tanquam proprietas quædam inhæret, aded ut etiam primitus litis denunciatio in ea recepta, postmodum verò ad alios quoque contractus ut dattonem in solutum, permutationem, transactionem, cessionem nominis & similes fuerit accommodata.

Dn.

Dn. Carpzov. *proceß. Jud. tit. 4. artic. 3. num. 6.* Hinc fit, ut præ-
runque in Jure ubi de Evictionis præstatione agitur, emptionis
& venditionis fiat mentio; Et emptor tunc denunciare tene-
tur, si conveniatur de Re corporali, vel incorporali, mobili
aut immobili, neque refert tota res vel ejus pars in controver-
siam incidat. *l. 1. pr. l. 39. §. 2. ff. de Evict.* de his enim constat quod
illis Evictis, si non modo ut principales. *l. 1. l. 64. ff. de Evict.* sed
& ut accessiones in contractum deducantur, actio de Evictione
competat, modo nominatim hoc ita actum sit. *l. 5. ff. de Evict.*
nam eo casu, pro parte rei venditæ habentur. *l. 31. §. f. l. 32. ff. de
Ædil. Edict.* Dn. Franz. *d. loc. num. 20.* Exceptio est in *l. 42. §. 1. ff. de
Evict.*

VIII.

De superficiariis Usufructuariis, & Emphyteuticariis, an
& illi Auctoribus suis litem denunciare possint, Doctores inter
se non conveniunt. Nonnulli dictis personis denunciandi Jus
simpliciter concedunt, nonnulli verò iisdem denegant denun-
ciandi potestatem; Mihi distinguendum placet sententia. An
scilicet dictæ personæ ratione Juris in re, à Jure illius quem lau-
dare intendunt plane separato, An ratione proprietatis & Do-
minii, quod ad Dominum fundi pertinet, An verò de utroque
& tota rei substantia in qua tam denunciatus quam denuncia-
tus suum interesse habet, conveniantur. Priori casu, e. g. si usu-
fructuarius de jure suo quod à proprietario accepit, Actione con-
cessoria conveniatur, eo prætextu ac si ususfructus ad Actorem
pertineat, denunciatoriales admitti posse non dubito. Siqui-
dem Reus de jure suo ita conventus, illud suo nomine quasi pos-
sidet. Quicumque autem convenitur propter rem quam ab
alio accepit, & suo nomine jam possidet, Ille auctori litem de-
nunciare potest. per text. express. in *l. 49. ff. de Evict.* Dn. Struve
Syntagmat. Jurisprud. volum. 3. Exercit. 27. thes. 20. Neque à nobis
dissentire videntur. Emeric. à Rosbach, *prax. civ. tit. 48. num. 14.*
Berlich. *part. 1. conclus. 24. num. 116.* Umm. *dict. disp. 11. num. 39.*
Mynsinger. *cent. 2. observat. 58.* cum omnes ibi loquantur de no-
minatione in specie sic dicta. Secundo casu, e. g. si quis ageret
contra

negatoria!
possoriam enim, quæ
usufructuarii per
adversum est, esset
esset in re; hanc
possoriam potest
in: §. 1. de Act.

contra usufructuarium, tanquam rei detentorem & nudam tantum vindicaret proprietatem, Usufructuarius proprietario liti ut sibi assistat denunciare opus non habet, cum eo casu rem fructuariam non possideat, l. 6. §. 2. ff. de prac. l. 10. §. fin. ff. de Acq. rer. Dom. Consultiss. & Ampliss. Dn. D. Deckherr. sup. alleg. disp. de possess. credit. in pign. 3. §. 137. Sed nominando Dominum proprietatis à lite statim eximitur, nam hoc in casu nulla est controversia de jure ipsius Usufructuarii, sed saltem de proprietarii jure disputatur. Ne ergo ille propter Jus tertii dispendia litis subire cogatur, æquum erit Dominum rei controversæ nominantem audiri, atque statim à lite liberari. Vultej. ad l. 2. C. ubi in rem act. n. 6. & 7. Umm. d. disp. 11. n. 39. Mynsing. cent. 2. observ. 58. Obrecht. disput. ad process. 12. part. 1. thes. 170. Sin verò actor ab usufructuario, & similibus, plenum Dominium, id est usum fructum, & proprietatem vindicaret, qui est Tertius casus, tunc conventus etiam litem denunciare potest proprietario, vel rei Domino, ita tamen ut ex parte proprietatis Jus suum Dominus solus defendat, ratione verò ususfructus denunciante in lite assistat, eumque contra actorem tueatur. Vultej. ad l. 2. C. ubi in rem actio num. 7. Obrecht. d. disp. 12. part. 1. thes. 127. De Vasallo idem quod de supra enumeratis personis dictum est, respondent Dd. comm.

IX.

Huc etiam refertur cessio vel venditio nominis, & quaeritur, an cessionarius quoque litem denunciare possit? Distinctione & hoc expediendum videtur. An scilicet nomina vendita vel cessa vendentis vel cedentis fuerint, An verò cujusdam alterius. Hoc casu cum cedens ad Evictionis præstationem teneatur, non minus ei denunciandum erit. Altero verò casu cum scilicet apparet Nomen venditum authoris cedentis fuisse, denunciatio cessat, siquidem eo casu, ad Evictionis præstationem cedens non tenebitur. Excellentissimus Dn. D. Lauterbach olim præceptor meus honoratissimus in disput. sua Inaugurali de beneficio competentia in coroll. 71. & in disput. sub ejusdem Præ-

*hæc distinctio nulla
fundamentis, nec e
nomina possunt
notari sibi; nec e
exig. de re ali
fita, ubi typu
nalu ep. qm. de
suo bonu habet*

B

dio



Actio Tubingae habita. De procuratore in rem suam. thes. 39. & sequent.
 Tunc enim cedens liberatur, si nomina qualia sint praestiterit
 modo fuerint vera & liquida, & ad petendum per se efficacia.
 Neque interest debitor locuples sit nec ne. l. 4. ff. de hered. vel act.
 vend. l. 74. § ult. ff. de Evict. l. 26. ff. mandat. Carpzov. Jurisprud.
 Forens. part. 2. constit. 34. desin. 26. & 27. Imputet enim sibi ipsi
 cessionarius, quod in conditionem debitoris non diligentius in-
 quisiverit, cum in contrahentibus curiositatem quandam leges
 interdum desiderent. argum. l. 1. §. 11. ff. de separat. l. 3. ff. de fide-
 iuss. Dn. Struv. Syntagm. Jurisprud. volum. 3. disput. 27. thes. 23.
 Dn. Hahn. ad Wesembec. tit. de Evict. num. 10. ubi pro hac senten-
 tia in Collegio Jurid. in Academia Julia responsum refert, his
 verbis. Erachten darauff disfalls Beschaffenheit nach/ im Rech-
 ten allerseits gegründet und zu sprechen/ daß Beklagter über die
 bey Hermann Penzlein/ Klägern cedirte und angenommene 200.
 Marck Capital/ und 24. Marck zwey Jährliche Zinse/ ist erwehnter
 Klägerin/ anderweit zu contentiren/ und zu befriedigen/ nicht
 schuldig/ derowegen er von angestellter Klage zu absolviren/ und zu
 entbinden/ quod ferè idem de hereditate vendita dicendum est
 cum res ipsas non denotet, sed jus universale. l. 108. ff. de V. S.
 nomenque juris sit. l. 119. l. 178. §. 1. ff. eod. vendens enim res hæ-
 reditarias tradere debet, quanta autem sit hereditas nihil inter-
 est. l. 14. §. 1. ff. d. hered. vel act. vend.

X.

Conventus autem debet litem denunciare auctori suo à
 quo rem controversam accepit. Umm. dict. disp. 11. thes. 7. si igitur
 emptori rei evictio imminet, potest & debet auctori suo
 litem Denunciare, ut ad defendendum in Judicio veniat. Colleg.
 Jur. Argent. tit. de Evict. rubr. de nominat. Rosbach. prax. Civili.
 tit. 48. num. 7. Hyltrop. process. Judic. part. 2. tit. 28. neque refert
 cujuscunq; sit conditionis auctor, sive praesens, sive absens sit.
 argum. l. 1. C. ubi in rem act. l. 49. ff. de Jud. de quo infra. Atque
 auctori soli & precise conventus denunciare debet, adeo ut et-
 iam si servus rem vendiderit, non Domino sed servo (nisi eo
 mor-

X.

mortuo) denunciare debet. *l. 39. §. 1. in fin. ff. de Eviēt.* Franz. in *comment. ad ff. tit. de Eviēt. num. 685.* Neque sufficit si auctoris procuratori denunciatur, *argum. l. 32. §. 1. ff. de usuris.* Nisi ipse auctor præsens fuerit, & denunciatum esse noverit. *l. 56. §. 4. ff. de Eviēt. argum. l. 79. ff. de V. O. Franz. d. tit. num. 685. Uimm. dict. disput. II. thes. 6. num. 18.*

XI.

Quod si plures sint authores, omnibus denunciandum erit, neque interest plures facti sint ex contractu, an verò per successionem, cum etiam hæredibus omnibus denunciandum sit, omnesque defendere teneantur, nec defensio pro parte admittatur. *l. 62. §. 1. ff. de Eviēt.* Si verò hæreditas nondum sit adita, vel auctor hæredem post se nullum reliquerit, hæreditati jacenti denunciare sufficit. *l. 56. §. ult. ff. de Eviēt. Colleg. Jur. Argentor. dict. loc. thes. 7. num. 2. Hyltrop. process. Judic. part. 2. tit. 28. Marant. in specul. part. 6. memb. 5. num. 14.* Vel si auctor non appareat, ut si vel absit, vel latitet, ne sibi denunciari possit, cum eo casu nihilominus teneatur, *l. 55. l. 56. §. 5. ff. de Eviēt.* Denunciatio saltem ad domum, domesticis, uxori, vicinis, inquilinis, vel amicis insinuari poterit, & tunc quoque pro legitima & sufficienti habetur, neque ulterior denunciatio requiritur. *Gail. 1. observat. 55. num. 4. l. 5. §. 2. ff. quod vi aut clam. l. 56. §. fin. ff. de Eviēt.* Nihil quoque interest, si hæredes adhuc existant intra pubertatis annos, tunc enim etiam ipsis impuberibus (tutorum illorum non apparente) denunciari potest. *dict. l. 56. §. ult. ff. de Eviēt.* Quamvis fortè melius faceret denuncians, si pupillus tutorem non habeat, ut vel ipse tutorem pupillo petat. *argum. l. 2. §. 3. ff. qui pet. tut. vel etiam cognatis & propinquis denunciaret. l. 5. §. 1. ff. quibus ex caus. in poss. eat. Dn. Franz. in comment. de Eviēt. num. 691.*

XII.

Sin verò diversi existant auctores, ex diversis contractibus, id est, si res jam per plures (ut loquuntur,) transierit manus,

B 2

& ulti-

& ultimo Emptori vel possessori lis moveatur, is suo immediato (hoc est) proximo Authori à quo rem accepit, denunciare debet, & sic cæteri quoque suis Authoribus, quousque ad primum perveniatur Authorem. *l. 1. & 2. C. ubi in rem actio.* Dn. Carpzov. *process. Jud. tit. 4. artic. 4. num. 13.* Colleg. Jurid. Argent. *tit. de Edict. rub. de Nominat. thes. 7. in fin.* Mynsing. *cent. 3. observat. 24.* Frantz. *dict. tit. num. 692.* Nisi tamen anterior Author actionem suam forte adversus primum Authorem cesserit. Rosbach. *prax. civil. titul. 48. num. 6.* Marant. *part. 6. memb. 5. num. 9.* Neque fidejussori Authoris denunciare sufficit. Marant. *dict. loc. num. 6.* Dn. Franz. *dict. titul. de Evict. num. 693.* cui nec aliàs necessario denunciandum est. *l. 7. C. de Evict.* cum non ad defensionem, sed tantum ad id, quod Evictionis nomine præstandum est teneatur, & culpa vel mora auctoris obliget quoque fidejussorem. *l. 88. ff. l. 91. §. 4. de V. O.*

XIII.

Cæterum, Reus conventus authori litem denunciare debet, etiam si I. Author in Judicio præsens sit. *l. 55. §. 1. ff. de Evict.* Wesembec *in l. 1. C. ubi in rem actio. num. 21.* nisi forte ideo comparuisset, quia una cum possessore convento propter rem evincendam in Judicium vocatus fuerit. Dn. Franz. *d. titul. de Evict. num. 859.* Umm. *d. disput. 11. thes. 6. num. 19.* Dn. Struv. *Syntagmat. Jurisprud. volum. 3. Exerc. 27. thes. 28. 11.* Authori quoque denunciandum est etiam si litis motæ habeat notitiam, tum propter generalitatem textuum. *in l. 7. 8. & 20. C. de Evict.* tum quod denunciatio non tam eo fiat sine, ut Author litem moveri cognoscat, quo casu certioratus amplius certiorari non deberet, *l. 1. in fin. ff. de Act. Empt. cap. eum qui 31. de R. 1. in sexto.* quàm potius, ut conventus declaret quid sibi ab auctore fieri velit, Auctorque percipiat, an conventus sua defensione opus habeat, an verò ad causæ defensionem, se sufficere existimet, cum nemo teneatur irrequisitus invito suam operam oggerere, aut alienis in rebus curiosus esse, Dn. Carpzov. *process. Judic. titul. 4. artic. 4. num. 21. & lib. 3. Respons. Jur. tit. 2. respons. 16. num. 2.*

num. 2. Dn. Franz. d. titul. num. 660. Schnedevvin. ad §. 28. rub. de act. ex Empto. num. 48. J. d. act. Zoel. in comment. ad ff. titul. de Evict. num. 23. III. Conventus denunciare debet, licet auctor juraverit se defensionem adfuturam, tunc enim semper praesupponitur, si legitima significatio & requisitio praecesserit, Jura-mentum enim induit naturam contractus, cui accedit. l. fin. C. de non num. pec. cap. quemadmodum. 25. extra de Jurejurand. C. J. A. titul. de Evict. thes. 7. IV. Denunciare quoque debet conventus, quamvis auctor promississet, emptorem propriis defendere sumptibus. Si scilicet emptor ita stipulatus sit, ut puta quia periculum Evictionis in limine contractus jam imminabat. Franz. dict. loc. num. 664. V. Etiam si auctor dixerit se nolle comparere vel liti se implicare. Dn. Carpzov. process. Jud. titul. 4. artic. 4. num. 29.

XIV.

Quod autem in thesi praecedenti diximus, litem auctori omnino denunciandam esse, id regulariter obtinere nullum est dubium, potest tamen aliquando evenire, ut emptor ad Evictionis praestationem agere possit, etiam nulla facta denuncia-tione. Dn. Carpzov. process. Jur. titul. 4. artic. 4. num. 32. Equi-dem I. Si notorium sit auctori nihil Juris in re vendita com-petiisse, eumque omni defensione destitutum fuisse, tunc enim licet emptori agnoscere bonam fidem, & cedere liti notorie injustae. argum. l. 11. §. 12. ff. de act. Empt. Dn. Franz. in comm. ad ff. tit. de Evict. num. 667. Wesembec. in parat. ff. de Evict. num. 5. Umm. d. disput. 11. thes. 6. num. 21. Quamvis autem haec jure & aequitati maxime ita convenient & vera sint. Colleg. Jur. Ar-gent. tit. de Evict. rubr. de Nomin. thes. 8. tutius tamen Reum con-ventum facere non dubito, si etiam hoc in casu litem denun-ciet Authori. Marant. in specul. part. 6. memb. 5. num. 16. Bach. ad Wesembec. titul. de Evict. num. 5. lit. e. nam alias auctor facile litis denunciationem omissam objicere, litigandique materiam arripere posset, quod scilicet possessoris conventi non sit judi-care, An auctor se defendere possit, in primis cum unus in defen-

*Humanis contra
sententiam in pu
ty veriorum de
tuo am est aequitas
sunt absurda boni
et qui vel minimis
ad hunc observari pos
sunt. n. n. n. n. n.
tuo impossibile ju
sustitia. Caute, cum
aliquid exceptionis in
posuit, de quo leg
dapat.*

*si de aequitate tam facile arguatur liceret,
nulla lex esset, que non deservit puniret,
et usquequo ex omnium sententia aequitate
videtur esse contraria, ex legibus tamen intro
ducta est. Quia in actibus tunc aequitate*

dendo possit esse longe accuratior, & diligentior altero, & postmodum conventus demum probare deberet causæ justitiæ, remque jure evictam fuisse, cum contra ipsum reum conventum sit aliqualis præsumptio collusionis cum Actore, si litis denunciatio omissa fuerit. Dn. Franz. *de Evict.* num. 669. & *Dd. comm.* II. Si pacto denunciandi necessitas fuerit remissa, *l. 63. pr. ff. de Evict.* Marant. *d. membr. 5. num. 15.* Atque hic cautè facere videtur emptor, si instrumento ejusmodi denunciationis remissionem inseri curet, ne postmodum re Evicta aliis probationibus tale pactum opus habeat probare. Colleg. Jur. Argent. *dict. tit. thes. 8.* & sic author sciens litem esse motam nihilominus in Judicium venire, ac petere debet, ut ad defensionem admittatur. Baldus in *l. 1. C. de per. & commod. rei vend.* Gomez. *resol. 2. num. 39.* III. Si authore præsentem & non ignorante ejus procuratori denunciatur, quod idem esse videtur si se ultro defensionem obtulerit. *l. 56. §. 4. ff. de Evict.* Colleg. Jurid. Argent. *dict. tit. de Evict. thes. 8.* IV. Si simul emptor & venditor ad judicium evocentur, ut quia hic partem aliquam prædii indivisi vendidit, ac postmodum prædium totum in litem deducatur, evocato utroque possessore, si enim ita præsens sit author, lisei jam satis innotescit. Dn. Franz. *dict. loc. num. 680.*

XV.

An verò ita necessario & ex necessitate juris supra dictæ personæ authoribus denunciare teneantur, non omnium eadem est sententia; Mihi videtur eam necessitatis omninò esse. per l. 63. §. 1. ff. de Evict. l. 8. l. 20. C. eadem. quod tamen non absolute sed hypotheticè intelligendum erit. per l. 63. §. 1. ff. de Evict. Hillig. ad Donell. enucleat. *lib. 20. cap. 3. lit. i. ibi, Sed necessitatem innuit, non quidem precisam, sed consequentiam nisi condemnari velit.* Ita ut suo quidem nomine possidens, de re sua conventus authorem suum laudare oporteat, si scilicet ipse regressum adversus ipsum habere, & id quod dedit recuperare velit. *l. 8. l. 20. C. de Evict.* Umm. *process. Jud. Dir. II. §. 5. num. 17.* Dn. Carpzov. *process. Jud. tit. 4. artic. 4. num. 16.* Marant. *in specul. part. 6. memb. 5. num. 1.* Quod

15.

Quod si verò possessor conventus Judicium solus suscipere & auctori respondere maluerit, quin hoc facere & auctoris laudationem omittere possit nulli dubitamus. Nam ad hoc ut Judicium Reale subsistat, jam sufficit ex parte rei, vera vel quasi possessio. *l. 9. ff. de R. V.* neque enim laudatio auctoris inventa est ad removendam ipsam actionem, sed tantum concessa, ut rem ab alio possidens conventus, rei evictione secuta, regressum habere possit, adversus suum auctorem. *Mynfinger. cent. 3. observat. 24. & Dd. comm.*

XVI.

Ut autem hæc denunciatio legitime facta censeatur, requiritur I. Ut fiat legitimo & maturo tempore, de quo extat textus insignis. *in l. 29. §. fin. ff. de Evict.* ubi dicitur, *quod quolibet tempore venditori renunciari possit, ut de ea re agenda adsit, dum tamen non prope ipsam condemnationem id fiat.* Cujus legis sensum talem esse puto, eamque sic explico, quasi quolibet tempore (& ita tam ante quam post litis contestationem) auctori lis denunciari possit, modo illa denunciatio non prope ipsam condemnationem fiat, ut scilicet auctori adhuc sit integra defensio, & si quam novam haberet exceptionem, eam in Judicio proponere possit. *Colleg. Jur. Argent. tit. de Evict. rub. de Nom. thes. 9. Franz. eodem tit. num. 701. Marant. in spec. part. 6. memb. 5. num. 5. Zanger. de except. part. 2. cap. 2. num. 7. Schneidewin. ad §. 28. rub. de actio. ex Empt. num. 51. Dn. Carpzov. Respons. lib. 3. tit. 2. respons. 19.* quod etiam observatur in foro Saxoniae per Constit. Elector. *in ordin. process. Judic. tit. 14. verb. Es werde gleich vor oder nach der Litis Contestation gesucht/ zugelassen/ zu recht darauff erkandt/ daß derjenige/ welchem die Denuncation geschehen sol/ auff des Beklagten Anhalten/ zu dem nachfolgenden Termin vorgeladen.* Quod autem *in dict. l. 29. §. ult.* dicitur denunciationem non prope ipsam condemnationem fieri debere ita accipimus quod in causa nondum sit conclusum (& hoc quoque rectissime observavit Dn. Referens apud Gylmannum *Rer. Judic. Cameral. lib. 1. decis. 28. num. 28.* ubi denunciatoriales dene-

denegavit, quia nimis sero rogabantur) vel nondum publicatae fuerint attestations. Marant. *d. part. 6. memb. 5. num. 5.* Wesembec. *ad l. 1. C. ubi in rem actio*, siquidem post attestatorum publicationem ulterior productio non admittitur, propter subornationis metum. *auth. at qui semel. C. de probat.* Dn. Franz. *dict. loc. num. 702.* Schneidevvin. *ad dict. §. 28. Institut. de act. rub. de act. ex Empto. num. 51.* Dn. Carpzov. *process. Jud. tit. 4. art. 3. num. 20.* Neque Nos ad diversum movet. *l. 29. §. 2. ff. de leg. 3.* quæ alias nostræ opinioni gravissime obstare videtur, ad quam in ipso discursu respondebimus.

XVII.

Deinde ad requisitum secundum hujus denunciationis pertinet, ut lis sit realiter & Judicialiter mota. *argum. l. 24. C. de Evict.* Hinc non sufficit, superveniens nuda scientia rem esse alienam, nec extrajudicialis vel jactabundi alicujus auctoris vox, ante litem revera motam: aliud enim est agere, aliud agere velle. *l. 15. ff. rem rat. hab.* Dn. Carpzov. *Jurisprud. Forens. part. 2. Constitut. 34. defin. 32.* atque ita demum lis mota non solum auctori notificanda, sed etiam auctor requirendus est, ut liti assistat, Reumque conventum in Judicio defendat. *l. 21. C. de Evict. ibi, interpellare venditorem vel ejus successorem debes, ut tibi assistant causamq; instruant, l. 23. C. l. 29. ff. de Evict. cap. ult. extra de Empt. vend.* Hinc ista denunciatio Judicialis esse debet, & à Judice decernenda pro tribunali aut ubi alias Jus dicere consuevit, neque enim hæc laudatio est simplex denunciatio, sed dicitur Citatoria, ut scilicet auctor veniat ad aliquid faciendum, unde non sufficeret si simpliciter auctori significaretur, litem super hac vel illa re motam esse, sed in super petere debet conventus, ut à Judice auctor citetur, ut ad defendendum & instruendum conventum veniat. Hyltrop. *process. Judic. part. 2. tit. 28. num. 15.* Schneidevvin. *ad d. §. 28. J. de act. rub. de Actio. ex Empt. num. 45.* idque exinde eo magis patet, quia (ut *thes. 13. num. 2.* diximus.) denunciatio etiam scienti facienda sit, quod non opus esset, nisi ultra notificationem litem motæ, adhuc aliquid (scilicet defensio, instru-

17.
 instructio & assistentia in lite) ab auctore desideraretur. Frantz.
 in comm. ff. tit. de Eviçt. num. 695.

XVIII.

Tertium requisitum quod circa denunciationem principali-
 paliter notandum venit, est ut auctor de genere motæ litis in-
 struatur, missa copia libelli & citationis. Rosbach. *prax. Civil. ti-
 tul. 48. num. 19.* partim ut cercioretur auctor, litem verè ac rea-
 liter esse motam, partim ut secum deliberare possit, quid de po-
 stulata defensione statuere debeat, an cedere, vel contendere &
 litem suscipere velit. *l. 1. ff. de edend. Dn. Frantz dict. tit. de Eviçt.
 num. 697. Dn. Carpzov. Respons. Jur. lib. 3. tit. 2. respons. 19. num. 8.
 Covar. lib. 3. variar. resol. cap. 17. num. 3. Umm. d. disput. 11. thes. 8.
 num. 31.* Et quamvis non desint, qui hanc libelli & actorum trans-
 missionem necessariam esse negant. Baldus. *ad l. 8. C. de Eviçt.
 num. 4. Schneidevvin. ad dict. §. 28. rub. de act. ex Empt. J. d. act.
 Vultej. ad l. 1. C. ubi in rem act. num. 55.* in foro tamen & commu-
 ni Interpretum voto, id satis probatum & receptum esse testa-
 tur. Dn. Carpz. *supra alleg. loc.* idque etiam Serenissimus Elector.
 Sax. *in ord. process. tit. 14.* confirmavit, ibi: *Und ihme von deme/
 was allenthalben von den Partheyen vorgebracht/ Abschrift/ und
 vollständiger Bericht mit überschicket werde.* Neq; movet, quod
 hoc in casu videatur, possessori convento de lite mota deponen-
 ti ac protestanti, fidem habendam esse, hoc enim hic obtinere
 nequit, cum nulli credatur in eo, quod concernit commodum
 ipsius deponentis, & onus alterius. *argum. l. 10. ff. de test. l. 10. C.
 eodem.* & inde sequeretur denunciandi necessitatem protestanti
 nunquam incumbere, cum tamen aliàs ordinariè à Judice so-
 leat dari copia libelli & petitionis productæ in Judicio, quò reus
 conventus scire possit, quis (& qualem litem moveat) actor, &
 quatenus in causa progressum sit, quod ex libello maxime con-
 stare potest. *Umm. process. Jud. d. disput. 11. thes. 8. num. 31.*

XIX.

Si itaque reus conventus authorem suum in judicio lau-
 daverit, ac petierit à Judice ut legitimè ei lis denunciaretur.

C

Judex

Judex coram quo actor actionem, & reus laudationem suam proposuit, certum praefigere debet terminum, intra quem auctori denunciari possit, ut compareat, reumque defendat. *argum. l. 2. C. ubi in rem act. cap. ult. § fin. extra ut lit. non contest.* cum nemo etiam nocentissimus damnari possit, nisi termino defensionis, ante omnia concessio, atque assignato. *Wesembec. in parat. titul. de Accusat. num. 12. Hahn. ad Wesembec. tit. de liberal. caus. circa fin.* atque termino ita à Judice constituto, & ad denunciandum concessio, in causa principali quoque supersedetur, & quiescit Judicis officium, nec ante lapsum termini in causa proceditur, si scilicet auctor denunciandus sit absens, vel in alio degat loco, si verò sit praesens, iudicium non suspenditur, sed in causa Judex procedit, uti etiam in Camera ita iudicatum esse, refert *Mynsing. cent. 3. observ. 24. Hyltrop. process. Jud. part. 2. tit. 28. num. 4. Marant. in spec. part. 6. memb. 5. n. 8.* an verò in scriptis vel sine scriptura fieri debeat haec denunciatio, id potius ex consuetudine quorumlibet iudiciorum & quid in illis observetur, iudicandum puto, imprimis verò, an auctor denunciandus sit praesens, vel in alio vivat loco, quo casu tutius esse videtur, si ei in scriptis lis denunciaretur. *Dn. Franz. d. tit. de Evict. n. 699.* Haecque denunciatio & transmissio libelli, sumptibus & expensis ipsius denunciantis fieri debet, ita tamen ut lite finita, eas repetere possit ab auctore. *Dn. Carpz. Respons. Jur. lib. 3. tit. 2. resp. 19. num. 14. Umm. d. disp. 11. thes. 8. num. 35.*

XX.

Finis unde & effectus aliquo modo cognosci potest, potissimum in hoc consistit, ut non solummodo auctor litis motae notitiam habeat, sed etiam ut denuncians auctorem suum incitet, ut ad defendendum eum, atque in lite assistendum veniat. *Dn. Carpzov. Respons. Jur. lib. 3. tit. 2. resp. 16. num. 3.* atque ita conventus sibi prospicit, ut si forte in iudicio succumberet, competat ei regressus adversus auctorem, qui alias omitta denunciatione, ei omnino denegaretur. *l. 8. l. 20. C. de Evict. l. 53. §. 1. ff. eod. l. 1. in fin. C. de peric. & comm. rei vend. Wesemb. in parat. ff. de Evict. num. 5.*

XXI.

XXI.

Sed quod in thes. præcedenti diximus, denunciationem præ-
 cipiunt eo fieri sine, ut auctor denunciantem in Judicio defen-
 dat, eiq; assistat. Hic nobil. & utilissima incidit quæstio, Ubi nam
 illa defensio ab auctore sit suscipienda, & an exceptionem fori de-
 clinatoriam denunciatus opponere, causamq; ad suum judicem
 ordinarium (si forte sub alio degat) revocare possit. In hac quæ-
 stione mihi verissima videtur sententia, quod denunciatus tenea-
 tur comparere, ubi ipsi denuncianti lis mota est, ibiq; causam de-
 fendere debere. per text. in l. 49. ff. de Jud. ubi Paulus J.C. respon-
 dit: venditorem emptoris Judicem sequi solere. & in l. 1. C. ubi in rem act.
 ibi, nec enim jurisdictionis forma, ob auctoris personam, quem in alia
provincia dicit consistere, debet immutari. Coll. Jur. Arg. tit. de Evict.
 rubr. de nominat. thes. 11. Dn. Frantz. eod. tit. n. 647. Umm. disp. ad
 process. 11. thes. 8. num. 32. Dn. Carpz. Respons. Jur. lib. 3. tit. 2. resp. 20.
 Gail. 1. observ. 37. num. 7. Mynsing. cent. 1. observ. 22. n. 7. Rosbach.
 prax. Civil. tit. 48. num. 8. Quod in tantum procedit, ut etiam si
 auctor esset talis persona, quæ aliàs privilegio aliquo ad declinan-
 dum forum munitus esset, in puncto denunciationis tamen fo-
 rum rei conventi & denunciantis, privilegio suo declinare &
 causam ad suum Judicem avocare non valeat, propter textum
 expressum & generalem. in l. 49. ff. de Jud. Hinc etiam Clericus,
quamvis regulariter, si principaliter conveniatur, coram Judice
Laico comparere non teneatur, sed privilegium fori opponere,
causamque ad suum Judicem Ecclesiasticum trahere possit. Gail.
 1. observ. 37. in pr. In materia tamen nostræ denunciationis aliud
 & singulare quid obtinet, aded ut etiam Clericus denunciantem
 non coram Judice ecclesiastico sed laico (si denunciatus ibi con-
 veniatur) defendere eique assistere teneatur. Dn. Frantz. dict. tit.
 de Evict. num. 648. Dn. Carpz. Respons. Jur. lib. 3. tit. 2. resp. 2. Gail.
 & Mynsing. dict. loc. Tum quod ille non principaliter, sed ad as-
 sistendum solum conveniatur, ac merus & necessarius conventi
 sit defensor, defendere autem sit eandem vicem quam reus ha-
 bet subire. l. 51. §. 1. ff. de procur. necessario vicem ac defensionem
 ibi

*negat hoc Frantz. in
 Contin. cent. c. 5. n.
 quod si laicus Cleric
 sub in judicio qua
 trahendum ad ju
 Ecclesiasticum, a
 hoc laico. per c
 in cap. gubernia
 ter. §. Super de
 quæro. ut lite
 testat.*



ibi subire oportebit, ubi controversia mota & lis jam capta est. *argum. l. 19. pr. l. 34. ff. de Evict.* tum quod causas continentes & & connexas dividere ac eas ad aliud forum transferre, propter personam tertii, absolum sit, & expresse sub pœna prohibeatur: *in l. 3. l. 10. C. de Judic. l. 13. C. de R. V. l. 5. C. arbit. tut. tot. titul. ff. quibus ex causis ad eund. Jud. c. ex tenore cap. ult. vers. quæ sub uno iudice. extra de rescript. & ita quoque in Camera servari testatur. Gail. 1. observat. 37. num. 7. Mynsing. cent. 1. observat. 22. ex quibus notat Paurmeister de Jurisdic. lib. 2. cap. 4. num. 98. Quod si directe alicui Statui Imperii, & ita mediate Imperio subjectus, aliquid vendiderit immediate Imperii subjecto, postmodum ei lis coram Imperatore moveatur, & is denunciât auctori, tunc auctor denunciantis forum ejusq; tribunalis Jurisdictionem subire teneatur. Quod nonnulli quoque ad Fiscum extendunt, sed an rectè non immerito dubitatur.*

XXII.

Aliquando tamen evenire potest, ut tam denunciatus quam denunciatus, forum declinare possint. Nam quoad denunciante, si ab aliquo actione pulsetur, & ei lis moveatur, coram Judice incompetente, cujus jurisdictioni conventus subjectus non est, illum in primis recusare, & ita forum declinare debet, cum Judici extra jurisdictionem suam Jus dicere volenti, impune non pareatur. *l. fin. ff. de Jurisdic. l. 6. C. de Judic.* Quod si vero denunciatus forum declinare potuisset, neque tamen id fecit, notant post Caball. *tract. de Evict. §. 3. num. 131. Umm. process. Jud. disp. 11. shes. 8. num. 32. Dn. Frantz. de Evict. num. 653. & Dd. comm.* Ipsi auctori declinandi potestatem esse, ne aliàs forsan denunciantis negligentia, noceat ipsi denunciato, eique damnum inferat, neque diversum obtinere videtur, in Judice suspecto, *cap. 4. cap. 10. extra de for. compet. l. 17. ff. de Judic. l. 9. ff. de lib. caus.* Gail. 1. observ. 33. Dn. Carpzov. *process. Jud. tit. 3. art. 4. n. 82. & seqq.* Si verò auctor denunciatione facta, defensionem suscipere se abstrictum non esse allegaverit, tunc coram suo Judice conveniendus erit, ut ad defendendum & assistendum à Judice compellatur, vel ut denunciante indemnem servet, condemnetur. Dn. Setuv.

Struv. Syntagm. Jurispr. vol. 3. Exerc. 27. thes. 32. Umm. dict. disp. 18. thes. 8. num. 32.

XXIII.

Ad finem properans adhuc quædam de effectu denuncia-
tionis hic adjicienda sunt. Hicq; respicit vel denunciante[m],
vel denunciatum. Denunciantem quod attinet, quamvis
ille à lite & processu non planè eximatur ac liberetur, sed nihil-
ominus eum continuare, litem contestari, ac omnia quæ de Jure
aliàs requiruntur facere debeat. Dn. Carpz. proc. Jud. tit. 4. art. 4.
in pr. Hyltrop. proc. Jud. part. 2. tit. 28. n. 5. quod etiam in ord. proc.
Jud. sax. tit. 14. observatur. §. Wann aber der/ welchem der Krieg
angefündiget. vers. Sondern nicht minder Beklagter zu verfahren
schuldig seyn. Dn. Carpz. Respons. Jur. lib. 3. tit. 2. resp. 20. n. 3. efficit
tamen ut ipse à suo auctore denunciato, in Judicio defendi atque
juvari contra adversarium debeat. l. 49. ff. de Jud. l. 57. ff. de procu-
rat. Ideòq; denuncians caveat, ne vel processum simpliciter de-
serat, atq; contumax existat, vel eum negligenter tractet, ut ejus
culpæ ab auctore aliquid imputari queat. Schneidevv. ad d. §. 28.
rub. de act. ex Empt. n. 55. Covarr. var. resol. lib. 3. c. 17. Hinc advo-
catum diligentem ac peritum conducere, neq; cum parte adver-
sa transigere vel compromittere, absque scientia auctoris debet.
Hic enim requiritur ut judicialiter & per sententiam Judicis pos-
sessor denuncians condemnatur. arg. l. 56. §. 1. ff. de Evict. l. 17. C.
cod. Schneidevv. d. loc. n. 56. Dn. Carpz. lib. 3. Resp. Jur. tit. 2. resp.
20. n. 7. Et si postea sententia contra denunciante[m] lata sit, ab ea
appellare, & appellationem prosequi debet. l. 4. §. 3. ff. de Appellat.
l. 63. §. 1. ff. de Evict. Schneidevv. dict. loc. n. 58. Dn. Franz. de Evict.
n. 643. Deinde secundus & potissimus effectus, respectu denun-
ciantis est, quod si in Judicio forte succumbat, habeat regres-
sum adversus suum auctorem de Evictione. l. 1. & 2. C. ubi in rem
act. l. 8. l. 20. C. de Evict. Alias enim si denunciare neglexerit, adver-
sus authorem suum, nullam, neque ex stipulatu, neque ex dupla
neq; ex Empto, actionem habet. per text. l. 8. l. 17. l. 20. l. 21. l. 29.
C. & l. 53. §. 1. ff. de Evict. cum ipsa actio de evictione, sub ea condi-
tione concessa sit, si denunciatum & res judicialiter Evicta fue-
rit,

rit, per text. supra alleg. Dn. Franz. in comm. tit. de Evict. num. 658. Dn. Carpz. Respons. Jur. lib. 3. tit. 2. resp. 15. Et in process. tit. 4. art. 4. n. 6. Marant. part. 6. membr. 5. n. 1. Idque etiam ab Illustriss. Sax. Elect. sancitum reperitur, in ord. process. Jud. tit. 14. verb. und sich auff beschehene litis denunciation, welche hierdurch ihre Krafft und Wirkung erreichet/ hinwiederumb an seinem auctore zu erholen haben. Tuncq; denunciatus non tantum consequitur rei pretium si res evicta fuerit, per text. alleg. sed etiam damna. l. 17. C. de Evict. Interesse. l. 8. l. 21. C. eod. & sumptus litis. d. l. 17. C. eod. l. 102. ff. de V. O. Schneidevv. d. §. 28. rub. de act. ex Empt. J. de Act. n. 59. Umm. d. disp. 11. num. 34. & 35. Rosbach. prax. civ. tit. 48. in fin. Hyltrop. remissive process. Jud. part. 2. tit. 28. n. 17. in fin.

XXIV.

Relicto denunciante, veniamus ad Denunciatum, quidve hæc denunciatio ei afferat videamus. Lite igitur ei ita denunciata, ipse consequitur remedium quo non modo denunciante, sed & seipsum defendere possit, nam denunciatione ommissa, neq; evicta, auctori nullum amplius remedium, nullave actio vel exceptio superest, quo se adversus evincens defendere, vel eum convenire possit. Non Jure proprio, quia cum evincens nullum negotium habuit, neq; cum eo contraxit. Non rei vindicatione, quia rei amplius non est Dominus, sed Dominium ipse transtulit in emptorem, & evincens per sententiam Judicis ipse dominus rei factus, jure rem possidere censetur, quia jussu & auctoritate Judicis possidet. l. 11. ff. de Acq. vel amitt. poss. l. 28. in fin. ff. de Nox. act. Neq; postmodum Jure emptoris evincens adhuc convenire potest, quia re semel evicta, nulla emptori superest actio, quam auctori suo cedere possit. Dn. Carpz. Jurispr. forens. part. 1. const. 3. desin. 24. n. 1. & 2. & in Resp. Jur. lib. 3. tit. 2. resp. 17. Covarr. var. resol. lib. 3. cap. 17. Ut proinde etiam sola æquitatis ratione auctori litem denunciare necesse sit, ut sua quoq; Jura proponere seq; tueri possit, cum suum interesse hic maxime versetur, & iniquum foret, si ommissa litis denunciatione neq; evicta, liceret postea authorem adhuc inquietare & convenire, tunc enim conventus sibi imputet, cur litem non denunciaverit. Dn. Carpz. supra alleg. loc.

XXV.

Deinde efficit hæc denunciatio, ut Auctor etiam denunciante[m] & principaliter conventu[m], in iudicio defendere debeat. l. 49. ff. de iud. l. 75. ff. de procur. Dn. Carpz. Resp. Jur. lib. 3. tit. 2. resp. 17. Quod verò de defensione diximus, illa fit saltem assistendo, non verò totam litem in se transferendo. l. 21. l. 23. C. de Evict. ibi, interpellare debes venditorem vel successorem eius, ut tibi assistant causamque instruant. Roding. pandect. Cam. lib. 3. tit. de citationibus earumque variis formis. 4. circa fin. A deo ut etiam si velit author, iudicium in se solus suscipere, ac denunciante[m] liberare, hoc auctore invito facere non possit. Dn. Franz. tit. de Evict. num. 640. quod etiam obtinet, quamvis nomine defensorio vel procuratorio, denunciatus in se suscipiat litem, nam nec tunc reus & denunciatus liti eximitur, sed in illa manet, & contra ipsum executio sententiæ fieri debet, quæ omnia quoque approbavit Serenissimus Saxon. Elect. in ord. process. Jud. tit. 14. §. Würde aber der/welchem lis denunciirt/ erscheinen/ und den Beklagten vertreten wollen/ ist ihm solches zu thun dergestalt frey gelassen/ daß er gleichwol Beklagten hierdurch der Rechtsfertigung nicht gänzlich entledigen/ sondern ihm allein assistiren/ oder aber an statt und von wegen desselbigen defensorio sive procuratorio nomine, die Sach ausführen möge/ der Beklagte aber nichts weniger in lite bleiben/ und derowegen auch das Br. theil/ so darauff erfolget/ wider ihn erstreckt würde. Quæ sententia tamen limitatur, si scilicet denunciatus consentiente auctore, animo novandi litem in se susceperit, uti post allegat. notat. Dn. Carpz. Respons. Jur. lib. 3. tit. 2. resp. 20. Atque hoc præiudicio confirmat. Diereuil Denunciat die mit Wolsen von Schönfeld/rechtshängige Sache/ ohn Denuncianten Zuthun/ auszuüben sich verpflichtet/ so ist er solchem nachzukommen schuldig.

Hoc non est perpetuag esse debet. Idem enim facien- agnitor nec veli- dere nec Emptoris p- videm. et venditor Et tamen inter se se in defensionem no- ut pote quod pericul- in venditorem reg- No, quod forsitan per omnia solve- an dicendum, de se- non absolute sed- sic necessitate e- Denunciatorum a- Emptoris. plane no- uti exempli gratia- multum interfit- fony uti quod- acq. Oblationi or- ut qua vendit- as intentionem pe- plones hbi notis- dit, de eo securus- in iudicio videtur- se non solvendo- sem nihil agi p- nec obstat, Caas- ut defendat, coram- iudice competente d- dan esse, hoc en-

XXVI.

Tandem Nobilis & utilissima oritur quaestio. Quo tempore, & an huic denunciationi praescribi possit. De hac extat textus conspicuus in l. 21. C. de Evict. ubi Imperat. Deoclet. & Maxim. ita respondent. Empti actio longi temporis praescriptione non submo- vetur, licet post multa spacia, rem evictam Emptori fuerit comproba-

sum, ut defendat, coram- iudice competente d- dan esse, hoc en-

*zum, si itaq; is, quem te comparasse commemoras, nunc in libertatem
 proclamet, interpellare venditorem vel successorem ejus debes, ut tibi
 assistant, causamq; instruant. &c.* Ex quibus patet, quod directo
 ob solam possessionem longi temporis, ipsum Jus denunciandi
 possessori convento minime auferatur, siquidem hæc nostra de-
 nunciatio, cum aliter locum habere non possit, nisi sub conditio-
 ne, si lis fuerit mota. *l. 70. ff. de Evict. & passim. in LL.* consequens
 erit, ut antequam illa conditio extiterit, & rei possessor conve-
 niatur, ipse nihil habeat de quo conqueratur, vel quare litem de-
 nunciare velit, cum dies obligationis, neq; venerit, neq; cesserit,
 & jus denunciandi nondum natum sit. *arg. l. 213. ff. de V. S. Dn.*
Franz. in comm. ff. tit. de Evict. n. 970. Aliquando tamen per indi-
 rectum huic Juri denunciandi præscribi posse patet. *ex l. 54. in pr.*
ff. & l. 19. C. de Evict. dum scilicet res ipsa per longi temporis pos-
 sessionem, adversus verum rei Dominum, ab alio Usucapione
 acquiritur, atq; ita dum prior rei Dominus, usucapione ab alio
 completa, amplius agere vel rem vindicare nequeat, merito quo-
 que Auctor de Evictione ulterius non tenebitur, litisque denun-
 ciatio cessabit, cum possessoris vel Emptoris tunc nihil amplius
 interfit, nec ei quicquam absit, quia per usucapiendi conditio-
 nem, rem pleno jure æq; ac si statim ab initio Dominium in eum
 translatum fuisset, acquisivit, atq; ita actorem exceptione præ-
 scriptionis statim repellere potest, & denunciatione amplius
 opus non habet. Uti hanc sententiam amplectitur. *Dn. Frantz.*
de Evict. n. 971. & eam. Dn. Carpz. Jurisprud. Forens. p. 2. constit. 3.
defin. 18. præjudicio confirmat: Hic itaq; subsisto, hæc q; pro tem-
poris ac instituti ratione dicta sufficiant. Deo Ter Opt. Max. humi-
limas pro divina concessa gratia, referens gratias, Omnipotenti
ipsius protectioni, me, measq; actiones omnes, Benevoli autem
Lectoris placidæ & æquæ censuræ hæc pagellas obser-
vanter & amice committo.

F I N I S.

ULB Halle
006 682 197

3



VDM







372

PRÆSIDE
INAUGURALEM

1661, 10.

CIATIO
TIS,

Resp. VI.

THORITATE
NOBILISSIMI,
JURISCONSUL-
LUSTRI ET CELE-
ORATENSIVM
IA,

NTIA
*Etorum Honores, &
rapessendi.*
isquisitioni

SCHOTT,
riens.
H. L^q. S.
ATI,
I SPOOR.

LXI.

